



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **De Vita Et Rebus Gestis Christophori Bernardi Episcopi Et Principis Monasteriensis Decas**

**Alpen, Johann von**

**Coesfeldiae, 1694**

33. Civitas obsidetur. Principis postulata. Responso Monasteriensium.  
Suos mittunt in Hollandiam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68495)



1657.

torum ferè capitum. Juventus ipsa armis ferendis apta, in duas pariter cohortes distributa. Accedente ex prævalidis duodecim cohortibus Civium numero, recensentur defensores, universim circiter septem mille. Habito decimâ nonâ Augusti delectu in Curia Civitati fidem dicunt. Et postquam in hortis suburbanis ad teli jactum eversa sepes, dumis, portæ, viridaria, carectaque omnia, quæ in latibula valere possent, certatim amputata sunt; vimineos fasces, ac palos, operâ curruum facilè quadraginta, in Urbem importarunt. Machinæ bellicæ, ferè centum, aptis per valla locis dispositæ. Ex lustratis Canonico-rum Cathedralium & susceptorum quorundam ædibus sublatum, quidquid armorum deprehensum est. Egentioribus, ne victui quaerendo ad excubiis se subducerent, annona ex publico assignata. Horologiorum usu nocte interdictū. Deniq; objectu aggerū, & ingentium repagulorum mole, influentis in Urbem *Alpha* cursum sistunt, ut stagnans ita ante muros flumen per vicina prata latius diffusum, hostilem ex eâ parte accessum impediret.

33.  
Civitas  
obside-  
tur.

Cūque ita dies aliquot hinc obsidendæ, indè propugnandæ Civitati utrinq; prælusum esset, S. Bernardi festâ luce Urbs obsideri cæpta est. Peditatus Moguntinus & Trevirensis sub *Lucâ Spickio*, infra *Ericetum Sentropianum* ad *Alpham*; ponè  
hos



hos ad lævam Colonienſis ſub *Lansbergio*,  
 tum Neoburgicus ſub *Goltſteinio*, inde  
 Monafterienſis ſub *Remuntio* caſtra me-  
 rantur, copiis ad Villam uſque *Judaicam*  
 explicatis. Duces ij omnes erant Genera-  
 les Vigiliarum Præfecti. Iſtos tegebat equi-  
 tatis pars, ſub *Korffio* Colonienſi tunc Pro-  
 Tribuno, reliquus verò ad alterum Urbis  
 ſitum translatus; in *Hiltrup* ſub *Wam-  
 boltio* Pro Tribuno Moguntinenſi; in vici-  
 nis iſthic locis Trevirenſis ſub *Petro* Equi-  
 tum Magiſtro; in *Nobiſkrug* ad trajectum  
*Weſe* amnis ſub altero *Lansbergio* Pro-  
 Chiliarchâ, & *Nagelio* inter Neoburgi-  
 cos Equitum Ductore ſtativa fixerant.  
 Omnibus hiſ præerat *Cratzius* Monaste-  
 rienſium Equitum Tribunus, cui parebant  
 etiam, quotquot ex eodem Urbis latere  
 caſtra poſuerant ruſticorum millia, & ere-  
 ctas ad viarum divertia munititinculas inſi-  
 debant; quiſque miles ſanctorum *Ægidij*,  
*Ludgeri*, *Servatij*, *Mauritij* & *Salvatoris*  
 ſeu *Herſtianam* portas obſervabat. Ob-  
 ſidentium novem mille crediti ſunt, nec  
 eum unquam numerum exceſſiſſe.

Alterâ poſt cinctam ſic Urbem die, *Princi-*  
*Tubicinem* denuò mittit Princeps, qui *pis po-*  
 poſtulatam nuper quorundam ex Urbe di-*ſtulata.*  
 miſſionem repetit, ac deinde ſciſcitatur,  
 ſintne parati Monafterienſes Principem  
 ſuum cum aulico Comitatu & militari præ-  
 fidio



1657.

*Monasterien-  
sium re-  
sponsio.**Eruptio  
prima.**Monasterien-  
ses no-  
vos able-  
gant in  
Hollan-  
diam.**34.  
Civitas  
machini-  
nis infe-  
statur.*

sidio statim recipere. At prompti respon-  
dent neminem antè dimissum iri, quam  
*Drachterus* Urbis Syndicus restitutus sit  
pristinæ libertati; super jure præsidij litem  
in supremo Imperij Dicalterio indecisam  
pendere, eius terminationem utriq̃ue parti  
patienter expectandam esse. Egressi postridiè  
è porta Beatae Virginis & vicinâ (à Villa  
Judæorum nuncupata) Civium, adoles-  
centum & militum nonnulli ab Equitatu  
isthic excubante mox cinguntur, nec tam-  
etsi strenuè se defendebant Urbani, à peri-  
culo aberant, donec *Wutenbergio* expe-  
dita cum manu accurrente, aliisque super  
alios in subsidium utrinque venientibus  
post acre certamen, sub præsidio tormen-  
torum feliciùs in Urbem reducuntur. Dum  
fodiendis ad Urbem accessibus & erigendis  
machinarum suggestibus obsidentes biduum  
occupantur, Urbs *Nienhusium* & *Kanne-  
gieterum* Senatores in Hollandiam ablegat,  
à Batavorum Rep. ceu Hanseaticarum pro-  
tectrice, suppetias exoratum.

Sextus & vigesimus Augusti dies  
erat, quo sub auroram ingens adeò è  
machinis globorum ac pyrobolorum ob-  
fessis incubuit tempestas, ut quatesacta tam  
horribili fragore Civitas, brevissimo tem-  
pore portam Beatae Virginis, ac confines  
illi sacras, profanasque ædes attonita spe-  
ctarit miserabili strage devastatas. Dumq̃;  
laxatis